

Hac dosi continuavi adhuc per integrum mensem , & æger erat fere curatus , tunc autem remedium mihi defecit , & erat tempus hyemnale , quo parari non poterat.

Hinc experimentum , quod optime cessit , erat interrumpendum.

Suasi : ut alia interim sumeret remedia , verum quum ei has pilulas amplius dare non potui , renuit omnia.

---

## CAPUT II.

### DE HYOSCIAMO.

**H**abet hæc planta radicem crassam , rugosam , multifidam , foris fuscam , intus albam , constat foliis mol-

mollibus, amplis, lanuginosis, graveolentibus, caules sunt bicubitales, crassi, ramosi, densa lanagine obfiti, flores monopetali, in quinque segmenta obtusa divisi, coloris sublutei, intercurrentibus aliquot venis purpureis &c. crescit circa omnes pagos, & in viis publicis.

Attamen usus ejus internus a plurimis auctoribus prohibetur.

Sunt quædam in dispensatorio compositiones, quas extractum hujus herbæ ingreditur.

Verum adeo parva portio pro dosi semper venit, ut præstare omnino nil possit.

Solum igitur extractum, quid in corpore humano ageret, experiri statui.

Ex planta recenti (sine radice) suc-

cum

cum expressum leni igne ad extracti  
consistentiam inspissavi.

Primum experimentum in cane me-  
diocri institui, ingerendo ei bolum  
granorum *decem* hujus extracti.

Nullam prorsus mutationem in ca-  
ne observavi, cucurrit alacriter, &  
oblata bono appetitu devoravit.

Tertio die dedi eidem cani grana  
viginti cum offa carnis.

Neque inde aliquod symptoma or-  
tum est.

Sexto die binas drachmas hujus  
extracti vi ingessi in ejusdem canis  
ventriculum.

Meticulosus erat per aliquot minu-  
ta, dein vero babit copiosam aquam,  
& carnes oblatas devoravit.

Post

Post medium horam languit, oculos tenuit apertos, & pupillam maxime dilatatam, eundo titubavit, impegit in obstracula, & fere nihil vidit.

Composuit se se dein ad somnum.

Anxius erat in somno, & scrobiculum cordis saepius vi introrsum trahebatur.

Post binas horas cœpit vomere omnia ingesta, stando tremuit, eratque debilis.

Postquam ter vomuit, solvebatur quinques alvus.

Prodierunt fœces liquidæ, subfuscæ, magna copia, & multum fœtentæ.

Oculi manserunt immobiles, & pupilla valde dilatata, & visus videbatur fere deletus.

Canis dein iterum cœpit dormire, spasmi circa cordis scrobiculum minabantur, & sensim cessarunt penitus.

Somnus durabat per quatuor horas,  
& canis jacuit admodum tranquillus,  
nec agitabantur membra, ut id paulo  
ante fieri solebat.

Post somnum oculi erant naturales,  
*canis* objecta optime videndo distin-  
guebat, vires bonas habuit, fuit ala-  
cer, panem, & carnes magno cum appe-  
titu deglutivit.

Retinui hunc canem per plures sep-  
timanas, sanus erat semper, vigil, &  
agilis.

Videbam ex hoc, parva dosi extra-  
ctum hyosciami non posse nocere, ma-  
gna autem copia datum excitare tur-  
bas, & anxietates.

Sumsi igitur per octiduum quotidie  
matutino tempore jejuno ventriculo  
granum unum.

Ha-

Habui me aequa bene, ac alias, sanus fui, nec in visu quidquam mutatum adverti.

Hoc enim symptoma in cane mihi erat suspectum.

Iis tamen diebus, quibus hoc assumfi, alvus erat liberior, & appetitus longe major.

Cum per octiduum hoc tentaverim sine ulla noxa, credidi, & illud ægris exhibendum esse.

Verumtamen iis tantum in casibus, ubi reliqua medicamenta, non prodefsent.

Brevi se se obtulit casus sequens.

#### EXPERIMENTUM I.

**F**oemina 37. annor., jam ultra fere qui annum diris convulsionibus vexabatur.

Hæ